Quelle: https://manuscripta.at/?ID=9008
Copyright: Melk, Benediktinerstift



79

Est autem noctis umbra morta
libus ad requiem corporis data ne
operis auida continuato labore
deficeret ac perirent humanitas. Et
ut animantibus quibusdam. quae
lucem solis ferre nequeunt. Ipsis etiam
bestiis quae praesentiam uerentur hu
manam discursandi ubique acuictum
quaeritandi copia suppeteret. Jux
ta quod in dei laudibus psalmista
decantat. Sol cognouit occasum suum
Posuisti tenebras et facta est nox
in ipsa pertransibunt omnes bestiae silua
rum. Et cetera. Quam mira prouisio
creatoris ita temperauit. ut ubi
ob solis longinquitatem rigidior
ibi ad opera breuianda et fouenda
sit membra prolixior. Quia in hieme
quam aestate uniuerso orbi longior.
Et in ipsa hieme multo scythis quam
a fris est productior. Sicut etiam
aestate multo longior in scythia
quam in africa dies flagrat.
Nam si non tanto breuior quanto
ardentior lybiam dies urerent.
totam nimirum iamdudum
consumerent. Noctis sane par
tes sunt VII. Crepusculum.
Uesperum. Conticinium. Intempestum.
Gallicinium. Matutinum. Diluculum.

Crepusculum est dubia lux. Nam
creperum dubium dicimus. hoc est
inter lucem et tenebras.
Uesperum apparente stella eius de
nominis de qua poeta. Ante diem
clauso conponit uesper olympo.
Conticinium quando omnia conticescunt id est silent.
Intempestum media nox quando
omnibus sopore quietis nihil ope
randi opus est. Gallicinium
quando galli cantum leuant.
Matutinum inter abscessum
tenebrarum et auroraeaduentum.
Diluculum. quasi incipiens
parua diei lux. haec et aurora
pertingens usque ad solis exortum.

DE EBDOMADA.

VIII.

EBDOMADA
grece a septinario nume
ro nomen accepit. hu
mana quidem consuetudine
septenis solum acta diebus. sed
scripturae sacrae auctoritate
multis speciebus insignis. Quae
tamen cunctae ni fallor ad unam finem
spectant. Nos scilicet ammonen
tes post operum bonorum perfecti
onem in spiritu sancti gratia perpetuam
sperare quietem. Prima ergo